

missi sunt, benigno recipiatis affectu, et per eos Orientalis terræ statu et necessitate comperta, principes, comites, et alios fideles Christi parochianos vestros, crebris et sollicitis exhortationibus laboretis inducere, ut terram illam, pro cuius liberatione patres et genitores eorum sanguinem proprium effuderunt, adeant festinanter, et contra inimicos crucis Christi potentia et virtute decertent. Litteras autem, quas propter hoc generaliter mittimus, universis faciatis ecclesiis publice legi, et exponatis earum tenorem, et remissionem peccatorum, quam facimus illis qui tam pium et necessarium opus assumpserint, nuntietis: et ita omnes ad exsequendum quod suggerimus moneatis, quod per sollicitudinem et exhortationem vestram terra illa festinanter fidelium sentiat auxilium et juvamen; et vos propter hoc ab omnipotenti Deo mercedem possitis consequi sempiternam.

Datum Tusculani, decimo sexto Januarii.

MDVI.

Ad Theobaldum Cluniacensem abbatem. — Compositiones ipsius factas cum Guillelmo comite Cabilonensi et cum Girardo comite Matisconensi scripto Philippi regis Francorum munitas confirmat.

(Tusculi, Febr. 9.)

[D. BOUQUET, *Recueil*, XV, 974.]

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis THEOBALDO abbati et capitulo Cluniacensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum Ecclesia vestra nobis sit nullo mediante subiecta, ejus et vestræ volumus, ut tenemur, paci prospicere, et ne possitis in posterum malitiosa quorumlibet vexatione gravari sollicite providere. Inde est quod, cum inter vos et nobilem virum comitem Cabilonensem (53) super querelis omnibus quas adversus eum habebatis, et super exactionibus quas exercebat in homines et terras ejusdem ecclesiæ coram charissimo in Christo filio nostro Philippo, illustri Francorum rege, amicabile compositio facta sit, et ejusdem regis authentico continetur, ratam habemus, eamque auctoritate apostolica confirmamus. Nihilominus etiam compositionem illam quam cum nobili viro comite Gerardo (54) super exactionibus quibus terram vestram et homines opprimebat, de libera voluntate fecistis, sicut est in scripto ipsius comitis roborata, futuris temporibus manere decernimus illibatam.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præ-

(53) Guillelmum, cuius charta de Paredo, quæ habetur in *Biblioth. Cluniac.*, col. 1441, facta est apud Lodonum ab Incarnationis Domini anno 1180, Philippo rege Francorum regnante in Francia, anno regni ejus secundo a coronatione. In eo porro recognovi, inquit, et confessus sum quod in villa pardi et pertinentiis, et in universa terra ejus, non habeo talliam vel porcellagium vel bevuagium, vel melsionagium, seu anuonagium vel corredum, quæ omnia ego et ministri mei plerumque violenter accipieba-

sumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Tusculi, v Idus Februarii.

MDVII.

Theobaldo abbati et capitulo Cluniacensi significat se episcopo Eduensi mandasse ut capellam Belnensem consecraret. Qui si mandatum exsequi noluerit, permittit iis ut episcopum Bellicensem ad faciendam consecrationem invitent.

(Tusculani, Febr. 10.)

[*Bibliothec. Cluniac.*, p. 1444.]

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis T. abbati et capitulo Clun., salutem et apostolicam benedictionem.

B Cum apud Belnam capellam quamdam, sicut dicitis, habeatis, quam petitis consecrari, venerabili fratri nostro Eduensi episcopo dedimus in mandatis, ut capellam ipsam, cum a vobis requisitus fuerit, dediceret, et apud eam cœmeterium benediceret; sub eo tenore videlicet, ut alienos parochianos ad quotidiana officia, vel ad sepulturam tempore nullo recipiat, nec in decimis, vel in aliis parochialia sibi jura imprimis usurpet. Ne igitur vestro super hoc desiderio defraudemini, præsentibus vobis litteris indulgemus, ut si prædictus episcopus a vobis secundo vel tertio reverenter et humiliter requisitus, mandatum nostrum non fuerit exsecutus, liberum vobis sit catholicum episcopum quem malueritis, etc,

MDVIII.

Guidoni archiepiscopo Senonensi, Henrico episcopo Baiocensi, S. abbati S. Genovesæ et decano Ecclesiæ Baiocensis mandat, ut in controversia inter Rolandum electum Dolensem et Bartholomæum archiepiscopum Turonensem, ap. sedis legatum, testium dicta litteris consignent.

(Tusculani, Febr. 25.)

[MARTEN, *Thes. Anecd.*, III, 907.]

MDIX

Ecclesiæ S. Mariæ Flottinensis protectionem suscipit ejusque jura ac privilegia confirmat.

(Tusculani, Mart. 10.)

[MORIN, *Hist. du Gatinois*, Paris 1630, 4^o p. 291.]

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis GUILLELMO, priori ecclesiæ Beatæ Mariæ de Flotin, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Religiosis viris et pietatis operibus deputatis publicum convenit adesse præsidium, ut tanto liberius obsequiis divinis inserviant, quanto se sentiunt fortius apostolica protectione munitos. Quapropter di-

mus. Præterea homines Ecclesiæ quandoque in expeditiones meas ire cogebam et opera sua facere compellebam, videlicet in fossatis meis erigendis et castellis construendis; quæ omnia peritus guerpivi et remisi, ita quod hæc omnia quæ prædixi, a me vel ab hæredibus aut ministris meis deinceps nullatenus requirantur, etc.

(54) Girardo comite Matisconensi cuius etiam chartam eodem anno datam vid. ib. colleg.